



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Pars Secvnda. Religiosæ Personæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80707)



PARS SECVNDA.

RELIGIOSÆ PERSONÆ.

NON NULLA in communi de Prælatu Regulari annoto, de Abbatisſa, deque Monialium Clausura plura indico.

SECTIO VNICA.

De Personis Religiosis, Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Prælatu Regulari.

¹ **Q**UINAM dicendi Prælati, Regulares suorum subditorum Regularium Indices.

PRÆLATVS proprie dicitur, qui Ecclesiæ Collegiæ, seculari vel Regulari, aut communitati Religiosæ præponitur. Inter Religiosos de quibus sermo sunt Prælati, Abbates, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Commissarii, Visitatores, Præpositi, Rectores, Correctores, &c. Non vero eorum Vicarii, nempe Superior, priore nec mortuo, nec amoto. Quia ordinariam non habent iurisdictionem. Alij prælati ordinum exempti sunt ab Episcoporum iurisdictione, v. gr. Mendicantium Prælati, summo prælati immediate subiecti, qui quidem in istos subditos Regulares quasi Episcopalem habent iurisdictionem. Alij sunt prælati non exempti, qui tamen ordinarij Iudices in totam Regularium existunt, saltem in causis ad Regularia statuta, ac disciplinam pertinentibus. Quamobrem illos carceri addicere, punire, & excommunicare possunt: nec Episcopus in tali causa se valet immiscere, nisi ob Regulæ prælati negligentiam. Abbas ad Cap. Cum ab Ecclesiasticum, de officio Ordinis. Zerola in praxi Episcopi. p. 110. Prælati Tambur. tom. 1. de iure Abbatis. d. 1. q. 1. n. 7. & 8.

² **D**UPLEX eorum potestas dominica & iurisdictionis. Duplex in prælatu Regulari potestatem agnoscit, vnam dominicam seu æconomiam, alteram politicam, seu iurisdictionis. Per dominicam intelligitur acquisitum religioni, & eius prælati ad imperantiam religionis, eorumque operibus vtendum, prout communis indicantur. Per potestatem iurisdictionis intelligo potestatem spirituales ad Claus Ecclesiæ pertinentem, a Christo

Esob. & Menz. Decret. dist. 1. tom. VII.

Domino traditam, vel derivatam medio summo Pontifice, vel alijs Episcopis. Suar. de Relig. tom. 3. l. 2. c. 18. a. n. 6.

Prælati Regularis potest Regularem subditum in conscientia obligare per legem, ac præcepta, supposito vniuersali Ecclesiæ consensu, ac vera religionis status institutione. Huiusce autem potestatis duplex est titulus, primus est votum obedientiæ; alter iurisdictionis Ecclesiastica prælati necessaria, & de facto ad effectum hunc sufficientes communicata. Sancti. l. 3. Decal. cap. 1. num. 20. Suar. de Relig. tom. 3. l. 2. c. 8.

Non potest actum purè internum secundum se præcipere: nec subditi tenentur obtemperare, Quia illa potest quis præcipere, de quibus potest iudicare, penamque sumere, sed de actibus mere internis solus Deus potest indicare, &c. Quatenus vero spectant ad actum externorum complementum, vel sunt ad esse physicum necessarii, vel quatenus inuicem connexionem habent, possunt à prælatu præcipi, ac prohiberi indirecte. D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. Manda. tom. 1. n. 26. a. 3. Manu. to. 3. q. 9. artic. 2. Suar. de legib. l. 4. c. 13. n. 6. Sancti. l. 6. Decal. c. 2. n. 5.

Nec imperare quod contra Regulam esse confiteretur. Quia tale præceptum non est validum, cum præcipiens potestatem ad ea quæ ad destructionem non ad destructionem acceptam excedat. Attamen si superior qui potest in Regulam esse regula ad singularem eum actum dispensare, præcipiat, debet subditi obedire, quia id opus ex rationabili prælati dispensatione fit licitum. D. Tho. 2. 2. q. 104. a. 5. Nam. sum cap. 2. n. 39. Faust. in thesaur. Relig. l. 6. q. 83. Sach. l. 6. Decal. c. 3. n. 8. Suar. de Relig. to. 3. l. 7. lib. 10. c. p. 8.

Nec ad ea obligare, quæ sunt omnino supra Regulam, quæ prælati non est dominus, re ad ea sed custos, ac ministri Regule ipsiusque potestas quæ sunt ultra eius terminos non extendit supra Regulam, supra Regulam.

FF. 2

³ Potest subditum in conscientia obligare.

⁴ Non potest actum purè internum secundum se præcipere.

⁵ Nec imperare quod contra Regulam esse confiteretur.

⁶ Nec obligare supra Regulam.

est, quod ipsius limites excedi, v.g. ad infideles progredi, ubi adest magnum mortis, vel feruentis periculum, & alia similia. D. Thom. *2. 2. q. 88. a. 8. Manu. p. 2. sum. c. 9. n. 1. Nau. comment. 4. de Regul. n. 23.* In triplici tamen casu aliquid præcipere poterit, quod supra Regulam sit. Primus est, in alicuius criminis admitti poenam. Secundus, si ad votorum observationem necessariam videatur. Tertius ob aliquam publicam necessitatem. *Regin. l. 18. n. 395. Ang. v. Religio. n. 30.*

⁷ Non debet esse facilis ad ferenda præcepta obligatoria sub mortali. Quia experientia edocet, eorum frequentiam magis contemni, quam formidari. *Trid. sess. 23. c. 3.*

Nequit Religio Generalis suis Religiosis præcipere, ut ad Indos infideles, ubi martyrii periculum imminet, vel ad hæreticos, & Schismaticos causa eorum conversionis procurandæ, proficiscantur. Quia res est difficilissima, multisque animi, ac corporis periculis obnoxia. Excipe nostræ Societatis Iesv professos, qui quarto ad id se obligant voto.

⁸ Verum cum summo Præsoli cura boni communis totius orbis incumbat, is solus potest, & Regularibus, & secularibus Clericis præcipere, ut ad quamlibet orbis plagam tendant ad infidelium conversionem. *Manu. tom. 3. qq. Regul. q. 19. a. 7 & 8. tom. 2. sum. c. 9. nu. 5. Lopez p. 1. instr. c. 36. Lefl. l. 2. c. 41. dub. 9. numero 75.*

⁹ Virtutes in prælato Religioso requisitas in numero. Primo tenetur bonum commune Religionis semper affectare, proprio commo postposito, pro Regulari observantia, si opus fuerit, vitam in discrimine constituendo. Secundo, Maxime necessaria in eo est fortitudinis virtus, iustitia enim sine fortitudine, terga nonnunquam vertit. Tertiò inesse debet in eo pietas, non tamen nimia, sicut nec nimia iustitia, ac feneratoris, sed lenitas cum feneratoris est admiscenda. Porro Prælati munus, est, communitatem à vitis expurgare, ad virtutem ac perfectionem promovere. Quare prælatore onus est vel Angelicis humeris formidandum, uti ait *Trid. sess. 6. c. 1.*

¹⁰ Pro prudenti autem subditorum regimine nonnulla à Prælato observanda recenseo. Nullum negotium aggrediatur, nisi omnibus, quæ illud circumstant, consideratis. Consilium aliquando mittet, si negotium exigere videat. Non facile credat delatori. Nihil sine consilio gerat. Linguam cohibeat, Prælati namque verba, & notantur attente, & velociter circumferuntur, & magnam faciunt in subditorum animis impressionem, subditorum nimiam familiaritatem fugiat, quæ assueti contemptum parere, alioque excitat ad invidiam, liberalitatem in subditos prudenter exerceat.

Pacem inter subditos tueri, præcipua

eius sit procuratio. Cuncta

Patribus Greg. Bernar. p.

Tho. Nazian. &

aliis.

CAPVT II.

De Abbate.

IN Abbate Regulari requiritur, ut sit ¹¹ expresse professus, Sacerdos, ætatis ¹² que requiritur ad electionem, & ex eodem Monasterio, cui præstantur ad electionem, ad cuius præfecturam assumitur, creandus, nisi quando Monasterium personam idoneam non haberet. *Cap. Nullus, de elect. in 6. c. 1. de atate, & qualis. ordinand. Cap. Abbas, Cap. Abbatem 18. q. 2. & alibi.*

Potest populum solemniter benedicere in ¹³ Ecclesiis sibi pleno iure subiectis, (aliis vero in locis non nisi ex privilegio speciali) post Missæ sacrificium perfectum, post vespertinas, aut matutinas preces decantatas. Potest tonsuram, ac minores ordines conferre, non suis subiectis obstante longi temporis desuetudine, decreto tamen Tridentini *sess. 23. c. 10.* asserta. *Ab. glos. post baribus (ait) aut aliis quibuscunque quantum ordinem minus exemptis non liceat in posterum intra fines nec conalicius Diocesis consistensibus, etiam si nullus forte, si m. Diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, ita ac Reg. Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, culo via, vel minores ordines conferre. Facultas autem tur, hæc restringenda ad eos prælatos & regulares, qui ius mitræ, ac baculi deferendi habent. *Zotolin. praxi. v. Abbas. Barb. p. 2. alleg. 3. n. 13.**

¹⁴ Abbas, qui insignibus Pontificalibus utitur, immemorabili consuetudine calices, statera, & campanas, lapides, & pyxides consecrandi facultatem præcipit. Quæ consuetudo est rita, Cal. contra ius commune sit (ut patet ex *Cap. Ab. ces. c. 1. bates, iuncta Glosa, v. Tonsuram, de privileg. in 6.*) fundata est in privilegio Innocentii VIII. apud Tamb. Barb. de potest. *Episc. p. 2. alleg. 27. n. 36. Miranda to. 2. q. 40. a. 4. Suar. de Relig. to. 4. l. 2. c. 30. n. 8.*

Quid possint Abbates, & alij Prælati Regulares circa subditos summarie recensere. Quid possint habentes iurisdictionem Episcopalem possunt in suos subditos circa absolutiones, & dispensationes quod Episcopi in Diocesanis vitiis te Tridentini. Dixi posse subditis ordines minores ab Abbate mitrato conferri, ac novitiis ante professionem minimè potest. Abbas Cisterciensis ex privilegio confert suis Monachis Diaconatum, & Sæd diaconatum. Potest Abbas, & alij Prælati Regulares dare subditis regularibus dimissiones, eoque ad quemlibet episcopum ordinandos immittere. Abbas regularis dispensat super interdictis ordinum minorum, quando ille subditos suos ordinare potest, in interdictis vero aliorum ordinum Episcopus dispensat. Ex variis privilegiis potest absolvere suos subditos à casibus Papalibus, ac censuris, imò & moniales sibi subditas. Potest irritare, commutare, vel dispensare subditorum vota, & iuramenta. Plura alibi.

CAPVT III.

De Abbatisa.

15
Quantum
dicatur Ab-
batissa aut
Priorissa,
& quam
aetatem de-
beat habere.

IN Monialium contentibus Abbatissa, seu Priorissa dicitur Religiosa illa, quae ibidem habetur tanquam mater, gubernatrix, ac Magistra. Post Tridentinum sess. 25. cap. 7. eligi debet non minor annis quadraginta, & quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praesit, videatur, ex iis quae in eodem Monasterio annu trigessimum excesserint, & quinquaginta annis saltem post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente una eligatur. Duobus Monasteriis nulla praeficitur: et quae duo, vel plura quocumque modo obinet, cogitur, uno excepto, intra sex menses cetera resignare. Ex Concil. Rodrig. tom. 1. q. 9. §. 12. a. 2.

16
De Abbatissa bene-
dictione.

Vbi Abbatisa assensu benedici, intra annum a suae confirmationis tempore computandum benedictionis munus suscipere debet, alioquin a iure suo, nisi rationabilis causa suble, prorsus se nouerit ecedisse Clement. Attendentes bene de statu Monach. Vbi autem moris non est Abbatissas benedici, benedictio non indiget. Porro non omnes Abbatisae possunt benedici, sed solummodo illae, quae perpetuae sunt. Laym. l. 5. tit. 9. c. 13. §. v. m. m. 17. Azor. tom. 1. l. 13. c. 10. quest. 4.

17
Non est
capax po-
testatis, quae
Ordinis
vocatur.

Non est capax potestatis, quae dicitur ordinis. Vnde nequit subditos benedicere, ex officio, & publice: sedus vero prius ad modum, quo mater aliqua suam filiam benedicit. Nec praedicare, aut publice docere, licet ianctitate, ac doctrina praefluat: sedus autem in Capitulo, vel clauitro Monialium. Neque in Missa Evangelium legere quamuis possit in matutinis, vnde in iure Diaconissa appellatur. Neque moniales velare. Syluest. v. Abbatissa, num. 8. §. 3. Laym. l. 1. tit. 5. p. 1. c. 3. nu. 3.

18
Nequit dis-
pensare in
iuribus ac
votis.

Abbatissa ac Priorissa, seu quaevis monialium Praefecta nequit dispensare in iuribus, aut aliis legibus ecclesiasticis, cum Monialibus subditis, quia huiusmodi dispensatio ad solam potestatem ecclesiasticam pertinet. Nec dispensare in votis, aut ea commutare, quamuis id Praefati possint, quia spirituali iurisdictione carent. Bene tamen possunt ea irritare. Quia maiorem potestatem, dominationem in suas habent Moniales, quam pater in filios aut maritus in uxorem. Neque peccat, vota irritans sine causa, si illa fuerit absque ipsius facultate constituta. Manu. tom. 1. q. 2. §. 7. Portel. in dub. Regul. v. Abbatissa, numer. 2. Sanch. l. 4. Decal. c. 39. num. 7. Bonac. de voto, d. 4. q. 2. p. 7. §. 2. m. 26. §. 4. num. 29. Filliuc. tract. 26. n. 243. Reginal. l. 18. num. 224. §. 4. 10. Eicob. & Mendi Theol. Moral. Tom. VII.

Illegitima non potest absque dispensatione Abbatisae vel Priorissae officium obire, attempto iure communi. At prius legum habent Generales, ac Provinciales Ordinum Mendicantium, ad dispensandum cum monialibus sibi subiectis, vt non obstat hoc defectu, possint in Praetura eligi. Et ad huiusmodi dispensationem concedendam non est opus Provinciali Capitulo. Nauar. sum. c. 27. num. 201. Vinald. p. 3. c. 5. n. 10. Sayr. in Telsau. 10. d. 6. c. 11. Snar. tom. 5. d. 50. §. 5. Sanch. l. 5. Decal. c. 5. num. 19. Manu. q. 10. l. 1. q. 13. d. 2. adiciens, quando conceditur aliquod privilegium viris censeri feminis etiam concessum, si talis privilegium sint capaces.

19
Non potest
illegitima
sine dispen-
satione
eligi.

CAPVT IV.

De Monialium Clausura.

MONIALIUM clausura solo iure humano fuit instituta. Patet ex pontificum constitutionibus Bonifacii VIII. Cap. Periculosum, de statu regul. in 6. Pij V. circa Pastoralis Gregor. XIII. Deo sacris virginibus, & Tridentini sess. 25. capite quinto Tambur. de iure Abbatissae d. 8. q. 3. num. 3.

20
Clausura
Monialium
solo iure
humano in-
stituta
fuit.

Duo in Monialium clausura prohibentur, primum, Monialium extra Monasterium egressos. Secundum, aliorum cuiuscumque sexus intra Monasterium ingressus. Clausura intelligitur, spatium, quod intra ianuam Monasterij semper clausam continetur. Termini vero, seu limites huius clausurae complectuntur omnia Monasterij loca, quae ianuam clausa continentur, & ad quae saeculares non admittuntur. Nauar. ad cap. Statutum 19. quest. 3. num. 29. comment. 4. de regular. Miranda de Monial. qu. 1. artic. 1. Manu. tom. 1. q. 44. d. 1. Azor. tom. 1. l. 13. cap. 3. q. 2. Snar. de relig. to. 4. l. 1. c. 8. Sanch. l. 6. Decal. c. 15. n. 3.

21
Duo pro-
hibentur,
Monialium
egressus, &
aliorum
ingressus.

Et si Bonifacius VIII. Cap. Periculosum, de statu Regul. in 6. omnibus Monialibus clausura praecipit praescripsit, eius tamen Decretalis per contrariam consuetudinem notam quidem ipsi pontificibus, in Gallia, Hispania, Germania fuit derogata. Vnde illud ius commune non comprehendit Tertiarias in comuni viuentes, tria solenniter emittentes vota. Quia illarum Regula per Leonem X. edita, & confirmata post illud caput eis concessit, vt non teneantur ad clausuram, nisi illae, quae eam vovere voluerint: idemque dicendum de aliis multis monialibus aliorum Ordinum, puta D. Bernardi, ac D. Benedicti. Porro post Tridentinum, & constitutionem Pij V. ac Gregorij XIII. dicendum est omnes, ac singulas moniales cuiuscumque Ordinis sint, etiam Conversas ac Tertiarias post professionem onere clausurae teneri, modo in congregatione viuunt. Notitia tamen non tenentur ad clausuram. Quia in iure fermo est de professis, non de nonitis. Corduba in annotat. ad collect. priuileg. clausurae, not. il. Caiet. sum. v. Monachi, & Moniales.

22
Praeceptum
clausurae
non omnes
Moniales
obligat
iamque
in com-
munione
tenentur
obligat.

Tambur. *de iure Abbatif. d. 18. quest. 5. & 6.*

23
Quinam
egrediendi
facultatem
Monialibus
impertiant.

Episcopus, vel eius Vicarius, & Capitulum sede vacante dat facultatem monialibus sibi, vel sedi Apostolica subiectis, ut extra clausuram egredi valeant, ut in Tridentino decernitur. Exemptis vero, quae Regularibus subdantur, attento motu proprio Pij V. qui incipit, *Decoris, & honestatis*, facultatem impertit Generalis, Prouincialis, vel alius praelatus immediatus iurisdictionem quasi Episcopalem obtinens Miranda *tr. de Monial. q. 3. a. 6.* Sanchez *l. 6. Decal. c. 15. n. 18.* Suar. *de Relig. tom. 4. l. 1. c. 9. n. 13.*

24
Legitimè
egressus
causa indi-
catur.

Causa vero legitima ob quam Monialibus potest regressus a claustris concedi, triplex in Pij V. motu proprio exprimitur. Prima est *Magnum incendium*, seu incendium ita magnum, & euident, ut certum sit, aut saltem probabile, nisi exant Moniales, esse perituras, At si ignis possit extinguì, ipsi intra manentibus, nec cum Praelatorum licentia egredi valent. Secunda, *Lepra infirmitas*, id est, egritudo adeo contagiosa, ut si infecta non egrediatur reliquae sint non sine graui vitae periculo inficiendae. Tertia est *Infirmitas Epidemica*, seu morbus contagiosus communitati, puta pestem, morbum Gallicum, ignis S. Antonij, ac similes. At si Monialis possit in Monasterio absque aliarum infectione curari, haud potest exire. Quia cessat iusta exeundi causa Guttier. *qq. Canon. cap. 14. num. 8. l. 1.* Laym. *l. 4. r. 5. c. 12. n. 1.* Tambur. *de iure Abbatif. d. 2. q. 2.*

25
Licet ali-
quando, in-
consulto su-
periore
egredi.

Quando verò necessitas exeundi manifesta est, & superior tunc pro licentia petenda adiri non potest absque graui periculo longe distantiae ratione: licitum est Moniali eo inconsulto egredi, quia necessitas lege caret. Teneatur tamen id superiori significare, si possit, egressu durare. Tambur. *de iure Abbatif. d. 20. n. 3. & 4.* Lezan. *to. 3. sum. v. Clausura, n. 10.* Compend. privileg. Mendic. *v. Clausura casu.*

26
Pena egre-
dientis sine
licentia ex-
tra casus
permissos.

Egrediens, sine facultate extra casus permissos, est ipso facto excommunicata maior excommunicatione summo reservata Praefati. Et praelati licentiam impertientes extra casus permissos, dignitatibus, officiis priuantur. Barbo. *in collect. Bull. v. Monial. clausura circa egressum.*

27
Omnibus
interdictis,
Monialibus
clausura
inire.

Omnibus personis cuiuscumque conditionis, sexus, & aetatis facit postquam ad vltimum rationis aduentum, sub excommunicationis summo praefati reservatae poena prohibetur, ne intra septa Monasterij Monialium ingrediantur sine licentia extra casum aliquem necessitatis in scriptis obtena ab Episcopo, cui conuentus ille subiecit, vel à praefato Ordinis, cui subest Cap. *Periculoso de Statu regul. in 6.* Trident. *sess. 25. capite 5.* Manu. *tom. 3. qq. regul. q. 47. a. 2.* Nauat. *sum. 27. n. 109.*

28
Datur in
ingressu, &
egressu ma-
teria par-
tialis.

Potest in ingressu, vel egressu existimo dari materiae partialitatem, à peccato mortali, ac censura exculantem: nempe quando haec non perfecta, & consumata, sed semiplena est, quia nimirum pars corporis est intra, pars autem extra. Quia dum totum corpus non est intra, vel extra, non sunt perfecti ingressus, & egressus, Sanchez *l. 6. Decal. c. 16. n. 70.*

Causa iusta ingrediendi est Monasterij, seu monialium necessitas manifesta: cui aliter commode occurrere non possit. Profecto huiusmodi necessitas fumenda non est metaphysico plures. Causa iusta ingrediendi est extrema, seu strictissima, sed satis est moralis. Quia praeccepta Ecclesiastica tantum moralis necessitate ad exculandam transgressionem requirunt. Non tamen quaecumque causa, quae rationalis superiori alias fore videri solet, hoc tempore sufficit, sed opus est ut moralis necessitas adsit. Bon. *de claus. q. 4. pun. 4.* Miranda *de Monial. q. 2. a. 4. cons. 2.* Portel. *de dub. Regular. v. Clausura, num. 4.* Tambur. *de iure Abbatif. d. 24. q. 1.* Certè iustam ingressus causam habent Medici, chirurgi medendae Monialium aegritudini necessarii, Fabri, ac necessarii alij ministri ad Monasterij aedificium Confessarii, dum Monialis in lecto decumbit, aut nequit ad Confessionale accedere. Eandem iustam habent causam Sacramenta extremæ vñctionis, ac Eucharistia ministraturi, Tambur. *de iure Abbatif. d. 20. q. 6.* Miranda *de Monial. quest. secund. a. 17.* Sanchez *l. 6. Decalog. cap. 16. numero 43.*

Praeterea superioribus licet ingressus cum comitatu praecipuo à Gregorio XIII. *Superiori. Bulla Vbi gratie*, causa visitandi conuentus officinas, Monialium cellas, ac suppellectilem, dormitorij decentia. Tambur. *ibid. d. 24. q. 8.* Baiuli ingredi possunt, dum aliquod onus in Monasterium sit transferendum, quod à Monialibus commodè portari nequit. Debet tamen illud onus in Monasterij utilitatem deportari. Sanchez *l. 6. c. 16. n. 56.* Licit, & iusta ingressus causa reputatur Monialium transeuntium ad aliud monasterium, aut ex iusta causa extra claustrum existentem in hospitium admittere, dummodo sit Monasterium in quo admittitur, eiusdem Ordinis, & instituti. Item quando Monialis, et in aliqua priuata domo recuperanda sanitatis causa, vellerque animi recreandi gratia, aut moniales inuiscendi, ingredi eiusdem Ordinis monasterium, id vtiq; licet. Quia talis monialis non censetur extanea, cum sit eiusdem instituti. Denique lex generalis sit, data virgente necessitate, cui soli moniales nequeant occurrere, & praelatus creditur concessurus, necessarias personas ingredi posse. Plures casus enumerant Sanchez *l. 6. Dec. c. 16. n. 10.* Hieron. Roderic. *q. 26. n. 49.* Villalob. *p. 2. sum. r. 35. diff. 47. n. 27.* Tambur. *de iure Abbatif. d. 24. quest. 15.*

Episcopus potest ordinaria auctoritate in monasterijs sibi subditis facultatem ingrediendi impertire, auctoritate verò delegata in monasterijs summo Praefati subiectis, in illis autem, quae Regularibus subiecta sunt, facultas concedenda est à Generali, Prouinciali, aliove immediato conuentus praefato. Quia cui ligandi facultas competit, potestas soluendi competere solet, sed superioris, qui monasterio praest, est monialibus clausuram indicere. Ergo ad eundem dispensare in ingressu pertinebit. Nau. *comm. 4. de Regul. numero 60.* Azor. *p. 1. l. 1. c. 8. q. 7.* Tambur. *de iure Abbatif. d. 23. quest. prim.*

Abbatissa

Sectio II. De Person. Relig. Dubia. 343

32
Abbatissa
non potest
dispensare,

Abbatissa tamen minime potest huiusmodi concedere facultatem, quia ad illam non spectat claustrum indidere cum etiam ipsa claustrum onere teneatur. Idem dicendum de Priorissa, & alia Monialium Præfata. Tamen ex Episcopo, vel alterius legitimi superioris delegatione hæc facultas potest Abbatissa, vel Priorissa cædi in casibus sæpe contingentibus, cum facilis ad superiorem aditus non patet. *Nazar. comment. 4. de Regul. n. 59. Cap. 1. de cl. 4. c. 2. n. 6. Tambur. de iure Abbatiss. d. 2. q. 3.*

33 Ingressu facinoratum in claustra virorum
De ingressu Regularium inusta constitutionem Pij V.
mulierum Regularium Personarum, & Gregorij XIII.
in claustra virorum. Vbi gratia non ita absolute prohibitis cen-
suræ lubi mortali, & excommunicationis cen-
suræ: sed nisi fiat preteritum facultatem Apo-
stolicarum, quas ibi Pontifices reuocant. De
quo festi. 2. At interim ex constitutione Pij
V. femine ingredienti Monasteria virorum
communi-
cationis, &c. incurant excommunicationem papæ refer-

nam. Aliando tamen exaltari possunt nō
solum ab bonam fidem , verum etiam ab
ignorantiam vincibilem, crasam, & affecta-
tam. Quia ad hanc excommunicationem in-
terendum requiritur audacia, scientia, vel in-
gens temeritas , quæ scientiæ comparetur
Religiosis, quæ, qui faciunt , vel permittit
fœderis iurandi Monasteria prætextu fa-
cultatū a sūo Pontifice, vel ab aliis conce-
sari, excommunicationē Pape reservatam in-
currunt, & priuationem dignitatū, & benefi-
ciorū, & inhabilitatē ad illa, vel alia in posterū
obtinenda, vs. decernitur in Bulla *Vbi gra-
tis* Alij vero Religiosi , qui cœteras in Mona-
steria intromittunt, vel admittere presumunt
etiāsi ille absque facultatum prætextu in-
grediantur: incurant ipso facto suspensionē

nem à diuinis, & prinationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum accipiendo, vt habetur in proprio motu Pij V. Regulae ium personarum. Nominē autem monasterij intelligitur ea solaloca, quae sunt intra septa conuentus, qui clauduntur, vel claudi debent. Bonac. de censur. d. i. g. 2. p. m. i. num. 11. & 12. Sanchez l. 2. Decal. c.

Ab excommunicatione hac solus Papa absoluit, dum excommunicatio publica est.

absoluit, dum excommunicatio publica est. Quia illius absolutionem sibi referuat. At si esset occulta, posset Episcopus ad ea absol-
uere ex Trident. *sess. 24. cap. 6.* Religiosi ha-
bentes privilegium absolvendi a censuris Pa-
pae reatuatis, possunt etiam ab hac excom-
municatione absolvere. Porro cum crimine

præsumptæ introductionis mulierum monasteria, & è contra non sit gravissimum; neque atrox, nec superet adulterium; Episcopus ex iuris concessione *Cap. At si Clericus, de iudicio*, §. *de adulter*, potest in penis privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa dispensare, quia Pius V. & Gregorius XIII. nec privationem hanc ab officis, nec inhabilitatem ad ea, fuit excommunicationem, reservarunt. Et hoc spectat verum, quando crimen est occultum in sententia eorum, qui volunt; has privationes, & inhabilitates absque iudicis sententia declarationis incurrì, ut patet ex Tridentino *sess. 24. cap. 6*. vbi Episcopis datur facultas dispensandi ab omnibus irregularitatibus, modo publice non fuerint, & absolvendi ab omnibus censuris, & casibus occultis Summo Prælati reservatis. Hæc vero privationes, & inhabilitates sub nomine pœnarum suspensionum, imò irregularitatum comprehenduntur.